

**Peder Palladius und seine Kollegen an Johannes Aepinus und die übrige Hamburger Geistlichkeit, Kopenhagen 12. Juli 1548:<sup>1</sup>**

Eruditione, pietate et uirtutibus praestantissimo Viro Domino Doctori Johanni Aepino, Ecclesiae Hamburgensis Superintendenti uigilantissimo, et reliquis  
5 ornatissimis Viris, eiusdem Ecclesiae Pastoribus, Dominis suis et Fratribus in Christo dilectissimis Dei gratiam et pacem per Jesum Christum.

Clarissime D. Doctor Johannes Aepine, ce-[68:]terique praestantissimi Viri, Domini et Fratres in Christo dilectissimi.

Pro tam diligenti tamque sollicita de maximis et grauissimis rebus admoni-  
10 tione, quam non tantum piam et salutarem, sed etiam diuino Spiritu profectam agnoscimus, multum Vestrae Charitati semper nos debere sentimus et profite-  
mur; tantum abest, ut eam non in meliorem partem accipiamus. Sicut enim fi-  
dem, sinceritatem et constantiam Vestram in Domino suscipimus et magnifica-  
15 cimus, ornatissimi Viri; sic et grauissimum Vestrae charitatis officium, quo  
tam graui epistola nos de religionis, doctrinae et afflictiae Ecclesiae statu et  
conditione certiores reddere dignitati estis, humiliter amplectimur et exoscula-  
mur. Nam cum omnia tam mala quam bona, quae piis prouidente et promitten-  
te Patre coelesti eueniunt, omnibus ejusdem capitis membris communia sint,<sup>2</sup>  
nihil omnium singulis alienum reputandum iudicamus.

20 Eam ob rem nos, qualemcunque in corpore Christi locum sortiti, ita Ecclesiae commembrorum nostrorum laboribus, periculis et aerumnis, ac nostris, imo plus quam nostris ex animo afficimur. Quare etiamsi pares gratias agere non  
possumus, tamen operam nos daturos esse pollicemur, ut sanctum uestrum  
charitatis offi-[69:]cium non male collocatum esse uideatur, pro quo nos omni  
25 animi gratitudine uestrae charitati gratias agimus immortales ac sempiternas.

Dura illa et periculosa, charissimi Domini et Fratres, quae partim instant,  
partim iminent, nos a Daniele Propheta<sup>3</sup> et Prophetarum omnium Domino<sup>4</sup>  
praemoniti et praemuniti iamdudum expectamus, certi fore, ut quae praedicta  
diuinitus sunt, et impleantur, et finem aliquando habitura sint, ut afflictioni-  
30 bus promissa Ecclesiae glorificatio succedat.

Cum ergo instet tempus, ut probentur et examinentur electi,<sup>5</sup> uobiscum et cum  
piis omnibus accincti<sup>6</sup> animis dimicare, et in coepto cursu<sup>7</sup> (diuino Spiritu  
opem nostrae imbecillitati ferente)<sup>8</sup> progredi in nomine Domini nostri Jesu

<sup>1</sup> Dänische Bibliothec 5 (1744), 67–73.

<sup>2</sup> Vgl. I Kor 12,26.

<sup>3</sup> Vgl. Dan 7–9.

<sup>4</sup> Vgl. Mt 24f. (u.a.)

<sup>5</sup> Vgl. Lk 22,31.

<sup>6</sup> Vgl. I Petr 1,13; Lk 12,35; Eph 6,14.

<sup>7</sup> Vgl. Vgl. I Kor 9,24.

<sup>8</sup> Vgl. Röm 8,26; 9,16.